186

1511.

Sigismundus I. Rex Poloniæ Cardinali Sanctor. Quatuor.

Reverendissime in Christo Pater et Domine amice noster charissime.

Iste noster subditus Erasmus Vanson, qui hic in Studio Cracoviensis non parum temporis, bonis artibus impendit, ut et aliis quoque disciplinis animum imbueret, peregrinis quoque moribus ingenium excoleret, et expoliret, recepit se istuc, ubi bonarum omnium artium et ingeniorum sedem perpetuam collocatam esse cognovit, vellet autem Vestræ Reverendissimæ Dominationi servitorum numero ascribi, et ejus ope, et suffragio rebus suis melius, et honorificentius consulere possit. Rogamus velit Vestra Reverendissima Dominatio non detrectare ipsum in albo servitorum suorum describere et commendatum Nostra causa habere.

Bene valeat Vestra Reverendissima Dominatio.

Datum Etc.